



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Epilogus. Dicta omnia recensentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

EPILOGUS

Dicta omnia recensentur.

I. *Summa*
dictoria. **M**ATERIAM omnem Bonæ
Voluntatis attigimus, Fun-
damenta, Usus, Adju-
menta, Effecta: &, ordini commendan-
do, ac juvandæ memoriæ, ternario singu-
la comprehendimus. Fundamenta sunt:
res creatas singulas à providentia divina
gubernari: etiam minutissimorum curam
illi esse, adeóque fortuitum nihil accide-
re, sed omnia ex destinato fieri: peculia-
rem tamen de homine, præsertim probo,
inter omnia Deo curam esse. Hinc con-
sequitur: acquiescendum Deo ejusque
justissimæ misericordiæ, in eventis qui-
buslibet, etiam malis, etiam illis quæ à
mala hominum voluntate proficiscuntur:
cùm in calamitates incidimus, fidendum,
fore ut vel illis liberemur, vel ut nobis
utiles sint, si maneant: in omnem partem
ad

ad ventura quævis paratos esse nos debere, & à divinæ Providentiæ nutu suspensos. Quò sit nobis facilius tam arduæ virtutis exercitium, consideremus, Providentiam divinam nîl aliud esse, quàm Optimam Æquitatem Sapiëntissimè Potentiâ ineluctabili utentem ad fines suos: contrà, providentiam humanam cæcam esse, malignamque, & infirmam: denique infælicissimos esse mortaliùm, qui oblitari Deo conantur. Iis autem, qui sese ad arbitrium aptant supremi moderatoris, pulcerrimos fructus maturescere, Dei gloriam, plurimum meriti, securissimam pacem.

II. *Funda-
menta
Resigna-
tionis.* Si credimus, quod nescire nos ratio non sinit, & oracula divina prædicant, omnia in mensura, & numero, & pondere à Deo disposita: non possumus etiam ignorare, ad eum pertinere vel minimorum curam, signatosque casus omnes à pervigili illa, & in partes omnes infatigabiliter intenta ratione. Deliciæ tamen illius sunt esse cum filiis hominum, quorum causâ rerum
corpo-

corporearum cætera, & omnis ille spectabilis Universi apparatus, atque ornatus, prodiere. Familiaritas autem præcipua inter filios hominum illi est, cum his, qui usi sunt potestate sibi data, ut Filii Dei fierent. Oculi quidem Domini contemplantur bonos & malos: sed etiam singulariter oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Videas aliquando à bono patre ad excipiendum filium Prodigum epulas instrui: at primogenito dicitur, *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Justis Dei nomine dicit D. Paullus I. Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, sive mundus, sive vita, sive mors, sive presentia, sive futura, omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

III.
Manus
Dei adspi-
cienda.

Christiana mens, certissimis illis cogitationibus munita, placidè eventa quælibet de Numinis manu excipiet, tamquam benigni patris, potentis domini, sapientissimi ductoris, æquissimi judicis. Et quamvis interdum malæ hominum voluntates intercurrent, sciet

sciet tamen, quod Augustinus monuit
Enchirid. cap. 96. Nihil fieri nisi omni-
potens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse
faciendo: & cap. 100. Deus quasdam vo-
luntates, utique bonas, ita implet per malo-
rum hominum voluntates malas, sicut per Iu-
deos malevolos, bonâ voluntate Patris, Chri-
stus pro nobis occisus est. Non carnificem
plectentem adspicit, sed Judicem pro-
nuntiantem: non iter salebrosum, sed
Ducem præeuntem: non nuntium man-
data deferentem, sed Dominum impe-
rantem: non virgam pungentem, sed Pa-
trem ex amore ferientem: & ad omnia,
bona juxtâ ac mala, assuescit dicere cum
Josephi fratribus, Genesis cap. 42. *Quid-
nam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Latro fe-
cit, fecit Deus: calumniator fecit, fecit
Deus: Sufurro fecit, fecit Deus: vitiliti-
gator fecit, fecit Deus: homicida fe-
cit, fecit Deus: perduellis fecit, fecit
Deus.

IV.

*Gratia cum
fiducia, Deo
agenda: In-
differentia
servanda.*

Imò ad singula *Deo gratias* dicere assuescet: quas voces ut in ore sæpè habeamus, suadet Augustinus in Psalmum 132. & Clericos suos ac monachos sic instituerat, ut ad occursum mutuum eas pronuntiarent. Quodcumque Deus nobis occurrit, sive ablandiens, seu minabundus, dicamus illi, *Deo gratias*: nec dubitemus, malum qualecumque beneficio mutatum iri, si postquam ipsum oraverimus, & quæ licent remedia adhibuerimus, malum non tollat. Ob causam eandem in futurum, quamdiu de Dei voluntate nobis non constat, libranda voluntas nostra est, & in neutram partem, quantum fieri potest, flectenda. Qua de re benè Bernardus, Sermone, Quomodo voluntas nostræ divinæ subjici debeat: *Rogo vos, inquit, diligenter attendite, quia nihil occurrit, quod utilius possitis audire. Vbi certa est voluntas Dei, etiam nostra sequatur. In his verò rebus, in quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra desinat, pendeat inter utrum-*

M

que

que, aut saltem neutri parti nimis inhereat, cogitans semper, ne fortè altera pars magis Deo placeat.

V. *Quomodo
agat Dei
Providètia.* Ut ad tam sublime fastigium humana mens enitatur, frequenter quaternos contempletur divinæ Providentiæ vultus: Sapientiam, suaviter omnia disponentem: Potentiam, attingentem fortiter ad finem à fine: Justitiam, summa æquitate mala infligentem: Bonitatem, ad optimos fines singula referentem. Hanc potissimum spectari volebat Hieronymus epistola ad Paullam de obitu Blæfillæ: *Bonus est Dominus, & omnia, quæ facit bonus, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur? Plango quod accidit: sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius? Durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat... Sanus sum? Gratias refero creatori. Languet? Et in hoc laudo Domini voluntatem.* In morbis, in orbitate, in viduitate, in quibusvis humanæ vitæ casibus, æquanimis est vir bonæ voluntatis, quia id revolvit in animo: *Bonus est*

est Dominus, & omnia quæ facit bonus, bona sint necesse est.

V.

Insania &
insalicitas
fortunam
sibi fin-
genium.

Sed & hoc novit: insanos esse, qui suam sibi fortunam fingere & componere malunt, quam à Deo accipere: quasi vel se ament, quantum amantur à Deo; vel sapiant & pervideant utilia ac justa, ut Deus; vel Dei instar, cogitata ad effectum possint perducere. Neque insani modò sunt, sed etiam miserrimi, cum id cogantur esse, quod nolunt. Dicebat Cyprianus libro de Pudicitia: *Semper est misera, quæ sibi non placet, qualis est.* Idem de homine quolibet, in quavis fortuna constituto, dixeris: miser est, qualiscumque & ubicumque sit, qui sibi non placet. Itaque qui semetipsum cruciari non vult, esseque sibi tortor equuleusve assiduus, faciat, quod à Seneca monetur, epistolâ 107. *Hyems frigora adducit, algendum est. Æstas calores refert, aestuandum est. Intemperies celi valetudinem tentat, agrotandum est. Et fera nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus.* Alium aqua, alium ignis

M 2

eripiet.

eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus. Id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita feramus, & natura consentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt: turbantur maria, cum quieverunt: flant invicem venti: noctem dies sequitur: pars celi consurgit, pars mergitur: contrariis rerum aeternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc sequatur, huic pareat, & quaecumque sunt fieri debuisse putet, nec velit objurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur.... Hic est magnus, qui se Deo tradidit. Velis, nolis, ferendum est: cave onus exaggeres, ferre nolendo: &, quod longè gravius erit, cave ne tibi suppliciorum alterius vitae pondus imponas, levia hujus pati recusando.

VII.

*Prævenien-
da futura
mala præ-
sentium
patientia.*

Quantò prudentiùs pœnæ illæ
forti præsentium calamitaũ to-
lerantiã anteveniantur, ac redi-
mantur? Quod præstitit Orien-
tis Imperator Romanus Dio-
genes, apud Baronium, ex Curopalatae
narratione, anno Christi 1071. Vicissitu-
dine fortunæ admirabili ad ima dejectus,
inde ad summa evectus, rursus de sum-
mis ad infima deturbatus, in hoc lamenta-
bili casu ita se gessit, ut Tobiam simul &
Jobum exhibuerit, bina præscorum sæcu-
lorum maxima in patiendõ exempla, tan-
tò in homine uno spectabilia, quantò
fuerat excelsior. Perduellionis damna-
tus à Cæsare, lenitã criminis pœnã, ali-
quamdiu exulavit. Ab exilio revocatus,
militiæ, ad tuendum adversùs barbaricas
irruptiones imperium, præfuit. Impe-
ratore demortuo, à vidua Imperatrice in
thalami simul & dignitatis consortium
adscitus, quadriennio fermè rexit impe-
rium. Adversùs Asanum denique, Tur-
carum Dominum Sultanúmve, cum co-
piis progressus, pace, quam ultrò bar-

barus offerebat, recusatâ, post forte certamen à suis, fanatico terrore percussis, repentè desertus, in hostium potestatem vênit. Honorificè ab Asano habitus, & honestâ pace sædereque ic̄to, dimissus ac deductus, in itinere per Andronicum captus est, Michaëlis Imperatoris jussu, quem mobilia Græcorum ingenia, ad cladis nuntium, Imperatorem salutârant. Inde Constantinopolim in mulo, & in pullâ veste, ad triumphi ludibrium inventus, & effossis oculis ad perpetuas tenebras damnatus, id saltem ex cæcitate miserandi commodi habuit, ut ludibria non videret. Audiebat tamen convitia, quibus aures ab insolente plebe vapulabant: fatorem putrescentium absque medicina vulnerum hauriebat naribus; sentiebat ebullientium inde vermium erosiones, & quamvis non cerneret, sese pro ostento ac monstro spectari sciebat. Inter tot probra, doloribus acerbissimis cumulata, numquam de ullo conqueri auditus est, nedum probra rependere, imprecationesve in noxia capita effundere: id solum ferè

ferè in ore habebat, Deo gratiæ. Ita constanter ad mortem usque perseveravit: insigne humanæ conditionis, ex altissimo gradu ad infælicitatis infima devolutæ, spectaculum: sed longè illustrius æquanimittatis Christianæ, in malorum quorumlibet sensu Dei paternam manum aspicientis, & deosculantis exemplum.

VIII. *Dei laus ex consonantia voluntatum.* Lusciniam ferunt, aliàs numquam clariori voce, suaviorique, cantum modulari, quàm ubi acantho spinæve infederit. Verùmne id sit, viderint, qui narrant. Hoc certum, à canora cæli volucre virtute Christiana, numquam gratiùs ac modulatiùs Dei laudes concini, quàm divinæ humanæque voluntatis consonantiâ, in acantho calamitatum & spinis adversorum. Canticorum Canticum illud est, jucundissimum auribus sponsi, ejusque sodalibus: longè latèque resonans ex monte myrrhæ, & ex colle thuris, atque inde per valles & agros multiplicato sono diffusum. Quidni autem Christianorum aures delicatè istius cantus dulcedine mulceantur,

quo Infidelium etiam ipsorum, & barbarorum, mentes rapiuntur in admirationem? Quis, putas, fuit spectantium & audientium quorumcumque sensus, quando D. Theodorus Martyr, cujus anniversaria die ut hæc me commodum scribere contigit, unguis excarnificatus, dum costæ nudarentur, lætus canebat, *Benedicam Dominum in omni tempore?* Quando in rogam ardentem injectus, ustulatusque, ad extremum usque spiritum in divinis laudibus perseverabat, non secus ac juvenes Hebræi inter innoxias fornacis Babylonix flammæ? Quis non Christianorum ex eo spectaculo dignos sanctissima nostra religione animos concepit? Quis non cæterorum miratus est militem, non jam hostibus solum, sed etiam semetipso fortiozem? Cui adstantium, vel invito, tacitæ laudis testimonium non expressit tam excelsus super omnia horrenda animus, in vulneribus gaudens, in incendiis alacer, in morte vegetus? Cùm nos, tot sæculis à cruento Maximiani avo dissi, ad solam adeò generosæ patientiæ cogita-

cogitationem erigamus animos, & nobis ipsis de exemplo gratulemur.

IX. Si enim vel Paganis, imò & barbaris, nihil est supra hominem fortiter miserum, quantò magis Christianis, virtutum pretia edoctis? Qui non Dei tantum gloriam ex ejusmodi tolerantia existere noverunt, sed & plurimum apud Deum meriti ac gratiæ comparari. Nam *verissima devotio*, ut Blossius in dictis Patrum cap. 10. affirmat, *in humillima sui resignatione sita est: quando videlicet homo non solum in abundantia, sed etiam in penuria & mœrore, & aliis quibuscumque casibus atque eventibus, in sanctissima Dei voluntate plenissimè acquiescit.* Meritum est ab obsequio: obsequium à voluntatis subjectione perpetua. Ob eas causas, solitæ heroicæ animæ non excipere tantum mala incurrentia patienter, verum etiam prompto animo, obviâque voluntate. Petrus Faber, primus Divi nostri Ignatii socius, vir in agendo, patiendoque secundum Deum, apprimè versatus, tria esse dicebat Chri-

Stianorum non malorum genera, calamitates variè excipientium. Primos statim ad Deum Divosque confugere, non alio fine, quàm ut inde eximantur. Alios idem, sed meliùs, postulare: addere enim petitioni, ut Deus patientiam largiatur, si patiendi materiam non tollere constituit. Tertios in summum virtutis gradum eniti, peteréque à Deo, ut, si ex ejus voluntate sit, plura patiantur, paratos se, & ad omnia compositos, tamque ex animo dicturos, Ecce ego, dejice me, cæde me; quàm Ecce ego mitte me, erige me.

X.
*Latitia
perpetua.* Fructus ex ista animi præparatione tertius enascitur, tranquillitas animi inconcussa, id est summa mortalis vitæ fælicitas. Commendabat Ecclesiastes cap. 9. *Omnis tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non recedat.* Quod aliis verbis, sententiâ eâdem, discipulis suis commendare solitus Gebennensis Episcopus, compositissimæ mentis homo: ut læti semper essent, semper contenti. Ita ne verò semper? Et patre amisso? Et perditis rebus?

bus?

bus? Et discedentibus amicis? Et per
 publicos tumultus? Et in ipso tristitiæ si-
 nu, inter gementes undique ac flentes in
 hac lacrymarum valle? Omnino semper,
 & modum ostendo. Lætus esse non desi-
 net, qui non desinet habere quod volet,
 velle quod habebit. Id autem contingeret
 nemini, nisi voluntatem suam conjun-
 genti cum divina, quæ semper invicta est.
 Pulchrè Augustinus libro de Moribus Ec-
 clesiæ Catholicæ cap. 3. *Beatè omnes vive-
 re volunt, neque quisquam est in hominum
 genere, qui non huic sententiæ, antequam pla-
 nè sit emissa, consenciat. Beatus autem, quan-
 tum existimo, neque ille dici potest, qui non
 habet, quod amat, qualecumque sit: neque
 qui habet, quod amat, si noxium sit: neque,
 qui quod habet, non amat, etsi optimum sit.
 Nam & qui appetit, quod adipisci non potest,
 cruciatur: & qui adeptus est, quod appe-
 tendum non est, fallitur: & qui non appetit,
 quod appetendum est, egrotat.... Quar-
 tum restat, ut video, ubi beata vita inveniri
 queat, cum id quod est hominis optimum, &
 amatur, & habetur.*

XI.
Et Beati-
tudo.

Homini autem optimum est, velle quod Deus vult. Apud Augustinum lib. 13. de Trinitate c. 3. Illa cujusdam facerissimi mimi predicatur urbanitas: qui cum se promisisset in theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti expectatione major multitudo conflueret, suspensis & silentibus omnibus, dixisse perhibetur: Vili vultis emere, & caro vendere. In quo dicto levissimi scenici omnes tamen conscientias invenerunt suas, eique vera, ante oculos omnium constituta, & tamen improvisa, dicenti, admirabili favore plauserunt.... At si dixisset, omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Tam perfecta est scilicet, ut ibidem capite octavo loquitur Augustinus, tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, Beatos esse omnes homines velle. Quis verò mortalium beatus esse dicendus est? Ab eodem Augustino iterum audiamus cap. 5. & cap. 8. Beatus non est, nisi qui omnia habet quæ vult. Non vivit beate,

cui

cui non adest quod vult. Neque habet quæcumque vult, nisi qui nihil vehementer desiderare consuevit, quàm quod ille voluerit, cujus voluntati nunquam resistitur. Præterquam quod homo, in ea mentis dispositione, Dei auxilio ac singulari protectione destitui non potest. Quid autem illi malorum eveniet, qui in immensæ bonitatis ac potentiæ clientelam concesserit? Aut si quæ mala accidant, quodnam eorum in bonum non evadet? Moses, Deuteronomii c. 33. Tribui Aser, quod nomen beatitudinem significat, benè precaturus: *Benedictus, inquit, in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. Ferrum & æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua.... Non est Deus alius, ut Deus rectissimi: ascensor celi auxiliator tuus. Magnificencia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum, & subter brachia sempiterna: ejiciet à facie tua inimicum, dicetque: Conterere.* Unde Aser, id est fælicitas, unde oleum lætitiæ, unde ferreum æreumque robur, unde florens ætas & juvenilis
 animus,

animus, unde perpetuæ de hostibus quibusvis victoriæ, nisi à Dei auxilio? Ubi Dei auxilium, nisi ubi fiducia in Deum? Ubi constans in Deum fiducia, nisi cum sese homo in Dei manus ad omnia permiserit? *Non enim est alius Deus, ut Deus rectissimi: rectior autem nullus est, quam qui se summæ inflexæque rectitudini adaptavit.*

XII.

Ac geminus Paradisus.

Dici solet, nec longè à verò: nam, ut ait Augustinus in Psalmum 32. *Lingua popularis plerumque est doctrina salutaris.* Dici itaque solet, Paradisum in hac vita primùm, deinde in altera, nemini contingere: atque adeò, qui placent Deo, per multas tribulationes transiisse fideles. Verum istud quidem: sed & hoc, ni fallor, verissimum: Esse, qui & hîc, & in altera vita, inferos habeant: contrà esse, qui & hîc & ibi, Paradisum inveniant. Inferos utrobique habent, qui calamitatum impatientes moriuntur. Paradisum utrobique inveniant, qui se divinæ voluntati in eventis omnibus adiungunt. Quid enim in cælis agunt. Beati,

Beati; quid isti in terris? Et hi laudant Deum, & illi. Et hi Deo placent, & illi: quodque illi amplius non possunt, hi, quia Deo placent, incrementum gratiæ promerentur. Illi in loco pacis securi sunt, hi etiam in bellorum sede tranquilli. Itaque, ô homo, si & hîc pariter & æternùm beatus esse vis, *Vide directionem, quâ dirigit te Deus*, verbis Augustini te alloquor, in fine concionis primæ in Psalmum 36. *ut omnia, quæ vult, velis & ipse: ipse enim est directio.* Tunc demum alternis vocibus concines lucidissimæ noctis, Sole animarum nostrarum exorto, in diem cōversæ, suavissimum Canticum, cum multitudine militiæ cælestis, laudantium Deum, ac dicentium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

XIII. Epilogum ipsum claudamus brevi epilogo, ex dimetrorum pedestrium ternariis aliquot, quibus dictorum præcipua recensentur. Avaris opes suas sæpe ad calculos revocare jucundum est: nec nobis grave fuerit, divitiarum nostrarum cælestium numeros frequenter meminisse.

Summa-
ria bonæ
voluntatis
descriptio.

280 BONA VOLUNTAS.

Quæris, bona voluntas quid est?
Beatitudo ipsissima est,
Quanta esse sub cælo potest.

In ipso enim sinu Dei est,
Quia semper illi subdita est,
Et sponte, non gemens, subest.

Nihil ejus ubi sit interest,
Nec temporum metu anxia est;
Quia nusquam & nunquam sua est.

Quodcumque non vult, non adest;
Pariterque quod vult, non abest;
Quia illud unum vult, quod est.

Sic constitutæ nîl obest,
Nihil dæest, imò superest,
Regente qui cunctis præest.

Tota ex Deo, tota ad Deum est,
Tota in Deo, quia sub eo est,
Principium ei idem & finis est.

Per illam homo totus Dei est,
Et, poenè dixero, Deus est,
Cujus voluntas optima est.

INDEX